

burg

10





167  
1. J  
2. J  
3. J  
4. J  
5. J  
6. J  
7. J  
8. J  
9. J  
10. J  
11. J





1670.

1. Alsted, Casparus Henricus: de conditionibus
2. Bekkerus, Johannes Ludovicus: de jure clarium.
3. Colbrand, Nicolaus: de monibus pietatis.  
2 Exempl.
4. Epstein, Achilles: de bonis immobilibus in ma-  
num mortuam non transferendis
5. Erhard, Johann David: De anno gratiae vulgo Quaden.  
Festo.
6. Faber, Georgius Fridericus: Analysis l. si praesumimus i. l.  
de non num. pec.
7. Faber, Henricus Abrahamus: De principibus conjugum.  
2 Exempl. 1670 - 1710.
8. Finkeller, Gottfriedus: De alimentorum praestatione
9. Hagemeister, Trachsin: De laudo.
10. Hafmeister, Joh. Melch: De jure apanagii
11. Kirckius, Fridericus Christianus: Vasallus feloniae  
reus



- 1670.
12. Kniebs, Philippus: De revocatione codicillorum  
 13. Marheus, Hurricus: De cautionibus judicialibus  
 14. Meier, Hurricus: De barathria  
 15. Mueller, Christianus: De veteris numismatis potes.  
 Lake.
16. Rehkahn, Johannes: De interdictis  
 17. Schneider, Hieronymus: De citationibus sub hoste  
 18. Hoekken, Gerhardus, von: De sigillis  
 19. Hoekken, Gerardus von: Antiquae aliquae juridicae  
 sparsim collectae
- 20<sup>a</sup> Hoekken, Gerhardus von: De jure posthumum  
 2 suppl. 1670-1731
21. Hoenerus, Gottfriedus: De feriis  
 22. Hoenerus, Gottfriedus: De eminente dominio  
 23. Viather, Philippus Jacobus: De partibus curiae et  
 eorum jurisdictione  
 24. Wendt, Matthaeus: De iuribus feminarum singularibus  
 in publicis. Collatio juris communis cum Pomeranico

167  
 25.  
 26. 16  
 =





1670 Widdemann,

Christi'anus

25. ~~Walpurgis~~,

~~Johannes~~ Petrus:

De rebus gentilitio

26. 16. Walpurgis,

Johannes

Petrus:

De principibus liberorum

3 Exempl. 1670? 1706.

un  
tus  
notes.  
hafte  
Hes  
et  
mbus







*[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*













DISPUTATIO INIURIALIS JURIDICA

DE

EVICTIO-

NIBUS

DEO





2

P. 204

7

0

1





18,

P. 17. num. 52.

Q. D. B. U.

DISPUTATIONEM INAUGURALEM  
JURIDICAM

De

LICITATIONIBUS

SUB

HASTA

Authoritate & Decreto

Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi  
Consultissimi

Ordinis Jctorum

in

Florentissima & undiquaque celeberrima  
ARGENTORATENSIVM UNI-  
VERSITATE

pro

Consequendis summis in utroque jure

Honoribus & Privilegiis

Doctoralibus

SOLENNITER habebit

HIERONYMUS Schneider

Mœno - Francof.

ad diem 21. Mens. April. 1670.

ARGENTORATI,


Literis GEORGII ANDREÆ DOLHOFFII,  
Imprimebat JOHANNES Schick.

13

1670, 17.

5.

P. 219.



19.





*S. Rom. Imperii*

Reipublicæ Francofurtensis

liberæ & inclytæ

Ordini Senatorio

Amplissimo,

*Viris Generosis, Præstrenuis, Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis, Prudentissimis*

PRÆTORI

CONSULIBUS

SCABINIS

SYNDICIS

SENATORIBUS

Patriæ Patribus venerandis

Dominis, Mecænatibus, Patronis, Promotoribus,

omni honore prosequendis

*in*

*debitæ submissionis, promptique obsequii testimonium*

Hanc disputationem inauguralem

*offert ac consecrat*

Hieronimus Schneider.





DISPUTATIONIS INAUGURALIS  
*De*  
**LICITATIONIBUS**  
 sub hasta,

*PROOEMIUM.*

**I**n nomine Domini nostri JESU  
 CHRISTI ad omnes actus o-  
 mniaque consilia, & sic etiam  
 ad tractationem huius nostræ  
 materiæ de *Licitatione sub hasta,*  
 progredior, præeunte sic mihi Sacratissimo  
 Imperatore *in l. 2. Cod. d. offic. Præf. præf. Afric.*  
 eamque fretus divino auxilio, non ut mate-  
 riæ dignitas meretur, sed ut ingenii permit-  
 tunt vires, eâ, quâ fieri potest brevitate, obser-  
 vatâ certâ dispositionis methodo, in ordi-  
 nem quendam synopticum sum coacturus,  
 de benevolo lectorum iudicio non dubi-  
 tans! Tu Domine JESU omnia sic dirige, ut  
 vergant in SS. Tui nominis gloriam & ho-  
 norem!



Tractatio.

**A**ntequam autem, quid licitatio sit, describam, ejus & nominis definitionem prius attingere æquum erit: & quidem licitationem derivari à verbo licitor, ari, frequentativo à verbo liceri, quod est ad pretium aliquid adjicere *l. 7. §. quasitum est. 8. ff. d. minor.* & passim in jure, extra dubium est; *vid. Brissón. d. verb signif. voc. liceri.* Accipitur vel propriè, cum sumitur pro licitatione facta necessariò, impropriè, cum sumitur pro aliis licitationibus, quæ fiunt non necessariò, sed ad partium instantiam; de propriè accepta licitatione sub hasta nobis est sermo, quæ aliàs dicitur adjectio, *rubr. ad. l. 10. Cod. de fid. & jur. hast. fiscal. & l. 2. Cod. d. locat. præd. civit. l. 1. d. vend. rer. civit. l. penult. de omn. agr. desert. Gothofred ad rubr. d. in diem addiçt. Melioris conditionis allatio, Gothofr. ad d. rub. d. in diem addiçt. Auctio pretii id. ibidem. Sudhastatio, Mangil. d. subhast. quest. 6. n. 1. quest. 14. num. 2 quest. 16. pr. & num. 5. Calvin. lexic. jurid. sub vocab. licitator.*

II.

Estque nihil aliud, quàm pretii auctio facta ritè ac solenniter in rebus debitoris obærat, moram in solvendo facientis, sub hasta vendendis cum in finem, ut potiori sive plus offerenti addicantur; sive ut illam describit *Calvin. lexic. jurid. sub vocab. Licitator.* venditio proposita, quæ pretio ementis augetur.

III.

Ejus causa efficiens est decretum Magistratus, per quod



quod jubentur bona debitoris moram in solvendo facientis, vel fraudationis causa latitantis sub hasta per licitationem distrahi & vendi, *l. 2. C. si in caus. jud. pign. captum sit. l. ult. §. 1. pr. Cod. de bon. auth. jud. possid. ibi: ex sententia judicis & c. l. 2. Cod. si propter pensitat. publ.*

IV.

Causa impulsiva alia est remota, alia propinqua: Remota est obligatio personalis, quâ obæratuſ debitor, illis, à quibus creditum accepit, est obligatus, illamque adimplere cessat; Propinqua, petitio creditorum debiti sui solutionem urgentium, & si à debitore in solutione fuerit cessatum, postulantium, ut bona ejus per licitationem distrahantur. *Coler. de process. execut. part. 3. c. 4. num. 1. Anton. Faber. 5. Conject. 15. verb. quibus postulanti- bus & c. post. med. quo etiam facit Rebuff. ad ordinat. re- gni Gall. tract. d. litt. obligat. art. 6. glossa 3. n. 58.*

V.

Materiam considerando videndum, quænam sub- jaceant licitationi, sive quasnam res possimus licitari? Regulariter autem possumus omnes res, omnia bona debitoris, sive illa fuerint corporalia, sive incorporalia, sive mobilia, sive immobilia, modò jure domini pleno à debitore possideantur, nec alteri ullum in iis sit jus, nec specialiter vendi prohibeantur: & quamvis antea cita- tus *Colerus c. 9. part. 3. num. 81. & 82.* cum aliis statuat, mobilia licitationibus non posse vendi, cum subhastatio & inde licitatio non possit fieri, nisi in rebus soli sive immobilibus; contrarium tamen videtur non tamen absque limitatione verius; illa enim mobilia, quorum pretium ex eo est certum, quòd per singularum septi-



manarum mercatus habentur per civitates venalia, in publico foro, prout sunt butyrum, oleum, lardum & similia esculenta & potulenta, licitatione & per illam facta distractione opus non habere, certum est, cum ea statim, secundum communem valorem absque ulla licitatione creditoribus possint dari in solutum. *Bald. in l. 1. n. 5. Cod. si propter publ. pensit. & in l. cum majoris 2. C. d. rescind. vendit. num. 54. Coler. allegat. part. 3. c. 9. num. 51. Berlich. part. 1. conclus. 81. num. 90. & concl. 83. num. 15.* horum enim mobilium æstimatio tam manifesta est, ut ibidem collusiones intervenire nequeant: Secus tamen se res habet in rebus, quæ sunt pretiosæ, ut sunt gemmæ, margaritæ, vasa aurea, libri, vestimenta auro & argento picta & similia, quæ præcisè debent subhastari. *Bl. in d. l. venditionem l. cit. vers. sed si essent tales res & c. Coler. loc. cit. n. 53. sub fin. verb. nisi forte & c. Berlich. part. 1. conclus. 81. num. 91. & conclus. 83. num. 32.* & sic etiam fuisse judicatum in judicio curiali Lipsiensi in causa **Anwalden Barthel Voigten und Consorten / contra Heinrich Osthausens Erben** 15. Decembr. an. 1609. **daß mit subhastation der mobilien billich verfahren wird / es könten und möchten denn die Appellaten / wie recht / erweisen / daß bey den Gerichten zu Leipzig / der eingezogene Gebrauch beständig eingeführet / daß mobilien allein zu taxiren und nicht zu subhastiren / darmit würden sie billich zugelassen / B. N. W. testatur idem Berlich. part. 1. conclus. 81. num. 87. add. Reform. Francof. part. 1. tit. 47.**

VI.

Sed quæritur, si, ut supra dictum, mobilia, de quorum pretio constat, creditori in solutum possunt dari  
absque



absque licitatione, quid obtineat, si illa creditor in solutum accipere recuset? Resp. quòd tunc ea de una quaterdena in aliam tribus vicibus proclamari, subhastari & plus offerenti secundum jus Saxon. (secundum locorum enim consuetudines & statuta hæc variare possunt) debeant per *Churf. Sächsh. Gerichtsordnung/ c. von der execution und Hülffe 39. colum. 5. §. und wenn also zum Fahrnuß/ vers. do er aber solches zu thun bedencken &c.*

VII.

Sed quid obtinet, si & tum non inveniatur, qui rem licitetur, vel inveniatur quidem, justum tamen pretium non offerat? Respondent DD. quòd ejusmodi res vi-  
liori precio non debeant vendi, sed debeat creditor facere, ut eæ sibi adjudicentur justo pretio, quod pretium potest definiri æstimatione expertorum. *id. Berlich. concl. 81. part. 1. num. 63.* ubi alios hanc in rem Doctores citat & allegat.

VIII.

Dixi & incorporalia posse licitationibus distrahi: hin incertum non erit posse etiam Usumfructum hoc modo vendi, cum quòd usufructuarius non pauca domini jura habeat *l. 3. §. 13. ff. d. vi & viarmat. l. 1. §. penult. d. remiss. Hillig. in Donell. l. 9. c. 9. lit. c.* tum quod in venditionem bonor & executionem venire possit, & appellatione domini etiam fructuarius contineatur *l. 8. ff. d. reb. aut. jud. poss. addatur Calvin. in lex. jurid. sub. vocab. Ususfructus, Colleg. Argentorat. ad. tit. d. reb. aut. jud. poss. th. 23. & ad tit. d. Ususfructu th. 24. l. 22. pr. d. aqua & aqu. plu. arcend. & ad eam Gothofr. sub n. 88. Rittershus. tit.*



*ad tit. Inst. de Vsufr. princ.* Ea tamen, quæ jam diximus non intelligenda sunt de ipso jure Ususfructus personali, quod personæ constitutum est & cum eæ extinguitur, sed de jure percipiendi fructus, cum in Ususfructu jus percipiendi fructus & utendi commoditas, non item jus personale vendi & in id executio fieri possit. §. 1. *Institut. d. usu & habit. l. 38. d. Vsufructu l. 8. §. 2 d. pericul. & commod. rei vendit. Carpzov. part. 1. cap. 32. def. 21.* vid. omninò Magnif. D. Rebhan; Patronus Præceptor & Promotor meus semper venerandus *in hœdog. jur. chart. 2. clim. 2. paral. 2. th. 16.*

IX.

Sic & nomina & actiones, cum sint in bonis *l. 49. d. verb. Signif. & in executionem venire possint l. 15. §. 2. & 8. d. rejudicat.* nec possum simpliciter assentiri iis, quæ habet *Berlich. part. 1. conclus. 81. n. 239.* non omnia enim debita sunt sic idonea ac talia, ut sine expensis & aliis incommodis statim ac facile possint exigi, imò talis quandoque sunt conditionis, ut vel nihil omninò vel, si aliquid, vix dimidium illorum obtinere & consequi possis; secus tamen est, si sint certa & talia, ut de eorum solutione dubitandum non sit.

X.

Dixi ulterius, omnia debitoris bona venire in licitationem, nisi reperiantur specialiter prohibita, quemadmodum prohibentur statux, quæ positæ sunt in memoriam & honorem ejus, cujus bona per licitationem distrahuntur, illæ enim aut præter memoriam ad ornatum civitatis sunt positæ, & tunc manent publicæ, aut solummodò in honorem ejus, cui positæ, & tunc manent



nent ejus, & nullo modo possunt distrahi ex dispositione  
*l. 29. d. reb. aut. jud. possid.* adde, quòd plerunque ejus-  
 modi statuæ non privati causa, sed ob publicam utilita-  
 tem construantur, ut alii eas intuendo ad similem inci-  
 tentur virtutem.

XI.

Concubina & liberi debitoris naturales *l. 38. d. reb. aut. jud. possid.* Instrumenta rei rusticæ & ad agri cul-  
 turam pertinentia, ita, ut ne quidem in subsidium aliis  
 bonis deficientibus per licitationes vendi & distrahi de-  
 beant, & hoc propter utilitatem publicam; quia si hoc  
 permetteretur, interiret ac turbaretur agricultura, in-  
 deque eveniret vel tarda vel planè nulla tributorum il-  
 latio: *l. 7. & 8. Cod. quæ respignori oblig: poss. Hilliger. in Donell. libr. 27. c. 3. sub. litt. P. ubi Choppin. de Privileg. rust. l. 1. part. 1. cap. 7. Menoch. arb. casu 378. Trentacing. l. 2. pract. resolut. tit. d. execut. resol. 2. & alios*, qui apud no-  
 stros bibliopolas admodum rari, & inde non investi-  
 gandi, pro sua allegat sententia.

XII.

Sic & feudum excipitur & prohibetur per licita-  
 tionem distrahi *per text. 2. feud. 55. l. fin. Cod. d. reb. alien. non alienand.* quia pleno jure ad Vasallum non pertinet,  
 nec Vasallo sit per ll. dispositionem permissum illud  
 alienare; nisi fortè consentiat Dominus feudi, tum  
 enim prohibitionem cessare in propatulo est; invitus  
 enim Dominus feudialium Vasallum non habet, sed  
 illum habere voluisse censetur; quod est secus in feudi  
 fructuum perceptione & commoditatibus, hæc enim  
 in licitationes venire posse, præter *Gail. libr. 1. observat.*

B

pract.



*pract. 117. n. 2. testatur Berlich. part. 1. concl. 82. n. 2. Wesenb. in parat. ad tit. de rebus aut. jud. poss. n. ult. Hahn. ad eund. Wes. l. cit. quæ tamen fructuum perceptio longius non durat, quam jus ipsius Vasalli, hoc est, durat tantum per vitam Vasalli; hinc debitor Vasallo mortuo, etiam si ex fructibus perceptis creditori non sit satisfactum, nihilominus ususfructus rursus ad Dominum sive agnatos, pro sui natura, redit, quibus Vasallus debitor præjudicare non potuit; antea allegat Gail. l. cit. Hahn ad Wes. ibid. Colleg. Arg. ad tit. d. cess. bonorum thes. 9. add. l. 63. ff. d. rejud.*

XIII.

— Porro ejus debitoris bona non possumus licitari, qui defunctus & heredem non habens ab alio defenditur *l. 33. §. 1. d. reb. aut. jud. possid. auth. & qui jurat. in fin. Cod. eod. Nov. 53. c. 4. §. 1. in fin. l. 2. pr. l. 5. §. 1. in fin. & §. 2. quib. ex causis inposs. eat. Nec ejus qui Reipubl. causa sine dolo malo abest l. 6. §. 1. eod. l. 4. Cod. de restit. milit. Nec captorum ab hostibus l. 6. §. ult. quib. ex causis inposs. eat. Nec Furiosorum & prodigorum l. 7. §. 9. & 12. l. 5. §. 1. in fin. nisi urgeat æs alienum, & dilatio creditoribus sit allatura damnum d. l. 7. §. 11. vel alia subsit causa rationabilis l. 5. d. reb. aut. jud. possid.*

XIV.

Dixi notabiliter, debitoris bona per licitationem distrahi posse; hinc & illius bona à tali distractione sunt secura, qui vel omninò debitor non est *l. 7. §. 14. quib. ex causis inposs. eat. vel adversus actionem exceptione se potest tueri ead. l. 7. eod. §. vel, si sit quidem debitor, debeat autem adhuc in diem, aut sub conditione, d. l. & §. ad de l. 50. d. pecul.*

XV. Quæ.



Quæri hic potest, quid obtineat in pignore quod ratione duorum debitorum obligatum licitandum venit, an ex pteio ejus ambobus creditoribus sit satisfaciendum, an verò alteri solummodò horum? Resp. distinguendo: aut pignus constitutum est eodem tempore, & tunc pretium ex eo redactum dividitur inter utrumque; pro rata, aut diversis temporibus & tunc ille, qui primus pignus accepit, præfertur posteriori, nihilque hic consequitur, quàm illud quod superest. *per l. 96. ff. d. solut. & liberat. & l. 97. eod. in fin. Arism. Tepat. tit. 417. d. distr. pign. c. 2.*

Sequitur nunc forma: quæ potissimum potest considerari I. ratione Personarum, partim illam permittentium & decernentium; sic namque licitatio non valebit, nisi facta decreto & permissione ejus, qui eam interpellatus decrevit, publicam videlicet judicis auctoritate (judex enim eam proprio motu decernere non potest *Berlich. part. I. conclus. 81. n. 2.*) non ejus qui illam postulavit, uti id patet ex *l. 2. Cod. si in caus. jud. pign. capt. sit, & ejus inscriptione, l. legis 4. Cod. qui bon. ced. poss. Iohan. Anton. Mangil. tr. d. subhast. & licit. quest. I. n. 10. antea allegat. Berlich. l. cit. ubi quod hoc jure Sax. obtineat, testatur; adde etiam *Reform. Francfurt. part. I. tit. 46. von vergantung der unbeweglichen Güter in der Execution: verb. einen feyltrags Zettul erlangt hat &c.* partim illam consequentium, ut sunt regulariter Creditores *l. 9. ff. d. Curat furios. dand. modò, ut jam dictum, illi illam apud judicem postularint. Hilliger. in Donell. l. 23. c. 14. sub lit. D.**

esenb.  
eund.  
us non  
m per  
m si ex  
nihil  
natos,  
adica.  
ibid.  
rejud.

citari,  
nditur  
n.Cod.

& §. 2.  
usa si  
milit.

in poss.  
12. l. 5.

ribus  
usa ra-

onem  
e sunt

uib. ex  
se po-  
ebeat  
§. ad-

Quæ.



Sed an ne impetratâ jam licitatione hi creditores cum aliis licitantibus non creditoribus ad licitandum admittendi, quæstionis est? Affirmat id *Salicet. in l. 2. Cod. si in caus. jud. pign. & Iason. in l. à Divo Pio 15. §. si pignora 3. n. 8. ff. de rejud. Gothofr. ad eand. l. 2. sub. n. 44. Coler. process. execut. part. 3. c. 9. n. 87. Berlich. concl. 81. n. 64. ubi alii pro hac sententia recensentur, quam etiam approbat Colleg. Argentorat. ad tit. de reb. aut. jud. possid. thes. 22. cui add. Hillig. in Donell. libr. 23. c. 14.*

XVII.

Porro & licitationem possunt impetrare Curatores creditorum furiosorum, per ea quæ traduntur *subtit. Inst. de Curator. §. 3. & 4.* item tutores ratione pupillorum creditorum, quos habent in tutela; Cum enim jam recensitæ personæ ejus sint ætatis & conditionis, ut negotia sua tueri non possint, *pr. Inst. d. Curator* meritò illorum Curatoribus ac tutoribus conceditur, ea ipso- rum nomine peragere, per quæ eorum vitatur incommodum, illorumque potiùs commodum promovetur.

XVIII.

Forma II. licitationis potest considerari ratione loci; sic necesse est, ut illa fiat cum publicè in loco publico per *l. Ordo 3. verb. subhastatas & ibi glossa Cod. de execut. rei jud. l. 1. l. 5. & 6. Cod. de fid. & jur. hast. fiscal. cum quibus text. convenit auth. Hoc jus porrectum Cod. de SS. Eccles. adde ea, quæ tradit Hilliger. in Donell. enucl. l. 23. c. 14. sub lit. C. Matth. Coler. d. process. execut. part. 1. c. 10. n. 209. verb. & publicè preconizatur in foro & c. Berlich. conclus. 81. n. 156. Mangil. quest. 16. Rebuff ad ordin. regni Gall. tract. d. precon. & licit. artic. 1. gloss. 2. n. 8. l. 12. Cod. de erog.*

gat.



gat. *militaris annon. Reformat. Francofurt. part. 1. tit. von*  
*vergantung der unbeweglichen Güter in der Execution 46.*  
*§. 3. verb. das darzu verordnete vergantungs Panier bey*  
*der Gerichts-thür auffgesteckt werden &c. quod appro-*  
*batum etiam cernimus ab Electore Saxoniae Johan.*  
*Georg. in Gerichtsordnung c. von der Execution und Hülf-*  
*se 39. col. 7. §. so soll man diese Ordnung, ver. inder gemein-*  
*ne &c.*

XIX.

Sed quid faciendum, si locus ille publicus, ubi ejus-  
 modi licitationes fieri consuevêre, peste sit infectus,  
 ita ut ab illo sibi cavere necessa habeant illi, qui aliàs  
 fuissent licitaturi? Respondet ante *allegat. Rebuff. d. tr.*  
*num. 7. quod debeat fieri in alio loco proximo, quem*  
*vide sis.*

XX.

Tum necesse est, ut fiat ibi, ut quisque defenden-  
 dus *l. 1. de reb. aut. jud. possid.* sive ubi habet forum com-  
 petens *l. 2. eod.* sortimur autem forum competens vel  
 respectu habito ad domicilium *l. un. ubi d. hered. agat. l. 19.*  
*§. fin. d. jud.* vel respectu habito ad contractum. *l. 2. §. 4.*  
*ff. d. jud. l. 19. §. 2. & fin. l. 45. eod. cap. 17. extr. d. for. com-*  
*pet. vel ad rem sitam. l. ult. Cod. ubi in rem act. exerc. deb.*  
*l. un. C. ubi de hered. l. un. C. ubi de possess. agi op.* (Sed quid  
 juris si res pluribus in locis sint sitæ? vid. *Rebuff. d. tract.*  
*art. 3. gloss. un. num. 22.*) vel ad delictum per *l. un. C. ub. d.*  
*poss. Novell. 69. c. 1. init. l. 20. d. jud. tot. tit. ubi de criminib.*  
*agi oport. Cod. tum denique ad continentiam causæ*  
*l. 10. C. d. judic. addatur Rebuff. d. tract. art. 1. gloss. 2.*  
*num. 6.*



III. Ratione temporis: sic diebus dominicis illa non debet fieri, per *l. fin. cod. d. fer. Rebuff. d. tract. art. 4. gloss. unic. n. 1. art. 7. gloss. un. n. 5. Berlich. part. 1. conclus. 81. n. 158.* quamvis licitationum præconia & inclamationes in villis & pagis die dominica in plurimis locis, post peractum cultum divinum, admittantur; hoc enim non admissio, plerunque eveniret apud rusticos hujusmodi licitationum ignorantia, quippe qui vel planè non vel rarò omnes solent convenire, nisi diebus dominicis & festis, *antea allegat. Rebuff. d. l. deinde ratione temporis venit considerandum intervallum, quod à captione pignorum indultum est rebus per licitationes distrahendis; de Jure ergò Civil. tempus intermedium in rebus Ecclesiæ à captione pignorum usque ad finem licitationis est viginti dierum, uti id patet ex auth. hoc jus porrectum, §. quod si nolit, vers. quo subsecuto & c. C. d. SS. Ecclesiis: vid. Mangil. quest. 10. n. 2. 3. 4: d. tract. Tepat. tit. 417. c. 10 & c. 18.* (Non obstante, quòd *Rebuffus in compend. d. alienatione rerum ecclesiast. n. 20: neget* illas requiri, prout id notat. *Gothofred. ad allegat. auth. n. 59.*) videatur huc *Mangil. d. tr. quest. 10. n. 1.*

XXII.

Idem in rebus fiscalibus obtinere communiter testatur *Bald. in l. si tempora 4. n. 7. Cod. d. fid. & jur. hast. fiscal. Coler. process. execut. part. 3. c. 9. n. 88.* imò etiam in rebus minorum & fisci, *Berlich. p. 1. concl. 81. n. 161.* quod est secus in rebus privatorum, de illis enim cum certum tempus non reperiat, judex disponere potest, ipsiusque relinquendum arbitrio, quanto putet in  
earum



earum licitationibus opus esse tempore: *Mangilius*  
*quest. 10. n. 3. 4. 5. & 6. d. tr. Colleg. Argentorat. ad tit. d. reb.*  
*aut. jud. possid. thes. 24. Coler. d. l. n. 89. id. part. 1. c. 10.*  
*n. 208. l. si tempora 4. ibiq. glos. 1. C. d. fid. instrument. & jur.*  
*hast. fisc.*

XXIII.

Sed hæc de jure Communi; statutis enim & con-  
 suetudinibus hæc quandoque immutari, certum est:  
 Sic moribus provinciarum Saxonicarum est receptum,  
 ut pignora pro executione capta proponantur venalia  
 & licitanda per sex septimanas cum tribus diebus, ita,  
 ut regulariter in singulis septimanis per illud biduum,  
 quo ut plurimum in plerisque civitatibus populosiori-  
 bus celebrantur publici mercatus, fiant singula procla-  
 mata in foro publico & frequentiore populi confluen-  
 tia, nominatim exprimendo ac designando res illas,  
 quæ sunt venales, & addendo, ut qui eas intendit emere,  
 veniat ad locum, ubi licitationes solent fieri, licitatu-  
 rus earum pretium. *Coler. p. 3. c. 9. n. 91. ubi jura Saxon. h. in*  
*parte allegat. Berlich. part. 1. conclus. 81. n. 162. Jure no-*  
*stro Francofurtensi ejusmodi licitationes fiunt spatio*  
*unius mensis, ubi singulis diebus Veneris, à hora prima*  
*ad secundam, licitandum. Reformat. Francof. part. 1. tit.*  
*supra allegat. 46. §. 3. ad d. Colleg. Argent. ad supr. cit. tit.*  
*d. reb. aut. jud. possid. thes. 24.*

XXIV.

Quæri hic potest: num Judici liceat, cum possit  
 prorogare licitationis tempus, *Bart. in l. licitatio n. 1.*  
*& 3. ff. d. publ. & vect. & l. si tempora Cod. d. fid. instrum.*  
 idem etiam minuere? quod negatur per ea quæ habet  
*d. Bart.*



*d. Bart. d. l. si tempora, n. 1. in fin. & n. 8. vid. Mangil. tract. d. subhast. & licit. quest. 10. n. 8. & 7. addatur etiam Rebuff. d. pracon. art. 4. gloss. un n. 31.*

XXV.

Prædictis accedunt & ulterius ad formam requiruntur & alia; uti: ut certò & legitimè constet de debito ejus, cujus bona debent venire in licitationem, *l. 9. ibi: tuum esse debitorem constat, cum Auth. & qui jurat. C. d. bon. aut. jud. possid. verb. declarati debiti & c.* ille enim qui bona debitoris subhastari & sic per licitationes distrahi prætendit, si creditum non liquidò probaverit, licitationem non obtinebit, & reus erit absolvendus *l. qui accusare Cod. d. edend.* pro debito enim illiquido neque rerum neque personarum captura, neque alia quæcunq; executio permittitur. *Bald. in l. apertissimi 16. n. 9. C. d. jud. & super debito nondum liquidato judex non debet decernere præceptum executivum vel ad executionem procedere. l. fin. Cod. d. compensat. d. auth. & qui jurat. C. d. bon. aut. jud. possid. Coler. process. execut. part. 3. c. 1. n. 2. 3.* Liquidum autem quid sit? videri potest *ex l. 6. ff. d. reb. cred. l. ubi autem 75. pr. d. verb. oblig. l. hac autem 5. §. 1. verb. constare liquereq; debet prætori ff. quib. ex caus. in poss. eat.*

XXVI.

Deinde ut reus ille, qui debet, citetur coram iudice *l. 3. C. si propt. publ. pensit* interpelletur ac debitum solveretardetur, *argt. l. 10. Cod. d. pignor. ubi: si conventi non satisfecerint. l. 7. ibi: cessante solutione & 14. C. d. distraçt. pign. l. 1. & fin. circ. med. Cod. si propt. publ. pensit.* Cum enim, uti possunt fingi lites *l. 8. §. 20. d. transact.*

ita



ita etiam possint fingi debita, meritò reus erit citandus ut per illum iudici innotescere possit, num petitio actoris creditoris nitatur veritate nec ne, & an illi licitatio in bonis debitotis sit concedenda, an verò non.

XXVII.

Tertiò & necessarium erit, ut bona fide res sive bona licitentur: omnis enim fraus ac dolus hic abesse debent *p. l. 2. Cod. si propter public. pensit. verb. sincera fide. l. si quos 16. C. d. rescind. vend. l. 1. C. d. præscript. 30. annor. l. 1. Cod. d. fid. & jur. hast. fiscal.* Hinc debitor, si fraudenter & iniquè per eiusmodi licitationem læditur, remedium habet restitutionis, per ea, quæ habet *Gothofr. ad l. 16. Cod. d. rescind. vendit. sub. n. 70.* adde de dolo hoc *l. tenetur 6. §. fin. ff. d. act. empt. Colleg. Argentor. ad. tit. de reb. aut. jud. possid. §. 24. in fin. verb. quod neque per gratiam emptoris, neque interveniente dolo minorem justo rerum pretio quantitatem acceperit, sed eam, quam cum omni studio potuerit invenire.* adeò autem necessaria est hæc bona fides, ut ille etiam, qui in licitatione plus justo offert pretio, non eo animo, ut sibi rem emat, sed ut alios ad pluris emendum inducat, crimine stellionatus teneatur. *Berlich. conclus. 81. part. 1. n. 179.* ubi allegat præter *Bart. in l. si tempora 4. C. d. fid. & jure hast. fisc. n. 3. sub. fin. vers. & in materia subhastationis.* pro hac sentent. complures; quibus adde *Tepat. tit. 417. c. 15. Rebuff. tract. d. sequest. s. Commiss. art. 1. gloss. 7. Rebuff. id. d. præcon. & licit. in præfat. n. 14. & 16.*

XXVIII.

Porrò fieri debet pecuniâ præsentem *l. 15. ff. d. re jud. §. 7.* Præsentem autem pecuniam non strictè accipiendam

C

dam

tract.  
m Re-

equi-  
e de-  
n, l. 9.  
C. d.  
m qui  
strahi  
tatio-  
accu-  
ne re-  
cunq;  
C. d.  
debet  
onem  
rat. C.  
n. 2. 3.  
d. reb.  
§. 1.  
us. in

judi-  
m sol-  
venti  
d. di-  
pensit.  
nsact.  
ita



dam pro ea, quæ datur ad numerum, sed pro satisfactio-  
ne, statuit *Mangil. d. tr. quest. 13. n. 21. per l. 4. §. 3. d. re-  
jud.* In subhastationibus enim non est fides habenda de  
pretio. *Gothofr. ad d. l. 15. sub. n. 72.* & ubi quis habet  
mandatum vendendi, ibi fidem de pretio habere non  
potest. *idem Gothofr. ibid. Coler. proc. execut. c. 9. part. 3.  
n. 94.* ubi sic per Scabinos dicasterii Lipsiensis fuisse re-  
sponsum, testatur; *Berlich. p. 1. conclus. 81. n. 80. & 81.  
Rebuff. art. 5. n. 19. tract. d. precon. & licit. & art. 7. n. 2.*

XXIX.

Quæri hic potest, quid obtineat, si licitatio fiat  
partim pecunia præsentem, partim non præsentem; an illa  
valeat, an verò non valeat? Respondet *Mangil. cit.  
tract. quest. 14. n. 1.* quod non valeat, cum in totum &  
non pro parte præsens debeat esse pecunia: per ea quæ  
allegat dicit. *Mangil. d. l. ubi etiam exceptiones ab  
hoc vid.*

XXX.

Tandem & summatim dicendo, licitatio debet  
fieri secundum solennitates præscriptas, & ubi jus sta-  
tutarium observatur, secundum ejus juris dispositio-  
nem & requisita: *Mangil. d. tract. quest. 2. Rebuff. tract.  
d. precon. & licitat. in præfat. n. 14.* quæ dispositiones pro  
diversitate locorum diversæ reperiuntur.

XXXI.

An autem forma hæc licitationis ad unguem sem-  
per sit observanda, & an non possit mutari, disquiritur?  
Hanc quæstionem quod attinet, illam affirmativè deci-  
dit *Coler. proc. execut. part. 3. c. 9. num. 93.* ubi post allegat.  
*Bald. in l. 3. n. 9. C. de execut. rei jud.* etiam addit rationem,  
ne



ne sc. fraudibus relinqueretur locus, & possessionibus viliorē pretio distractis, plus exactor ex gratia, quā debitor ex pretio consequeretur; argt. *l. si quos debitorum mole*, 16. *C. d. rescind. vendition.* tūm, quōd ea, quæ certam semper habuere observantiam non sint mutanda *l. 23. ff. d. legib. l. 183. d. reg. jur. l. 1. & 2. Cod. quasit long. consuet.* quibus potest addi ratio, quōd mala præsumatur fides, ubi ejusmodi solennitates non observantur *Mangil. d. tract. quest. II. n. 13. Gothofr. ad l. 1. Cod. d. fid. & jur. hast. fiscal. sub num. 39.* adeō autem sunt observandæ hæ solennitates, ut nec à fisco quidem in venditione bonorum suorum debitorum possint intermitteri *l. 3. C. si propter publ. pens. l. 16. d. rescind. vendit. C. Gothofr. ad l. 1. Cod. d. fid. & jur. hast. fiscal. n. 38.* nec possint à partibus remitti; cūm, quia sunt juris publici, & hinc à partibus remitti non possunt *l. nemo 55. ff. d. legat. 1. & l. jus publicum 38. d. pact.* tum quia istæ solennitates sunt introductæ in favorem & utilitatem omnium creditorum *l. 6. C. d. remission. pignoris Tapat. tit. 4 17. c. 3. in fin. Rebuff. d. tract. in præfat. n. 18.*

XXXII.

Sed cui incumbat probatio solennitates in licitatione non fuisse observatas, quæstionis est? Respondet *Berlich. part. 1. conclus. sæpe allegat. 81. n. 229.* quod ad id teneatur ille, qui dicit eas non fuisse servatas, & pro sua sententia allegat *Bald. in l. quod in libellum C. d. fid. & jur. hast. fiscal. n. 2. 7. & seq.*

XXXIII.

Utrum autem licitatione semel facta, & omnibus diebus subhastationis elapsis, debitor aliam petere possit



licitationem, itidem controvertitur? Bart. in l. licitatio  
9. ff. d. publ. & vectigal. n. 5. negat, nisi debitor sit talis,  
qui possit in integrum restitui; & sic etiam statuit Ber-  
lich. d. l. n. 98. cum aliis: adde quoque Mangil. d. tract.  
quest. 16. n. 14. & hæc de forma, quam latiùs tractatam  
apud citatos vide sis autores, sequitur nunc.

XXXIV.

Finis, qui est secund. Berlich. l. cit. n. 153. (1.) ut evi-  
tetur omnis fraus in distractione bonorum debitoris  
facienda; si enim creditoribus concederetur solis debi-  
torum suorum bona distrahere, illi interdum pro lu-  
bitu & maximo cum damno suorum debitorum rem  
agerent, puta vilius rem vendendo, vel alio modo de-  
bitorum commodum quærere intermittendo: (2.) ut  
licitatione hinc inde factâ verus rei valor & pretium ex-  
ploretur, resque tali æstimetur precio, quod quilibet  
pluris offert, & in quo à nemine superatur. Berlich. p. 1.  
conclus. 83. n. 38. (3.) ut licitatione jam legitimè facta è  
pecunia, quæ occasione licitationis ex bonis debitoris  
fuit redacta, ipsis Creditoribus consulatur ac satisfiat.

XXXV.

An autem iis æquali portione pro rata debiti cu-  
jusque quantitate satisfieri debeat, quæritur? & respon-  
detur per l. 6. in fin. Cod. de bon. aut. jud. possidend. quod  
sic, nisi inter creditores quidam sint, qui sint privilegia-  
ti, quos aliis creditoribus præferri & notum & manife-  
stum est ex l. 17. ff. d. reb. aut. jud. poss. l. 1. d. cess. bon. l. 52.  
§. 1. d. pecul. l. 5. & 6. qui pot. in pign. habeant. §. 29. in fin.  
Inst. de action, quod & approbatum videmus à Matthia  
Berlich. part. 1. conclus. 81. n. 212. qui pro hac sua senten-  
tia



tia allegat *Electoris Aug. constit. noviss. 32. §. findet sich aber / verb: jedoch unbeschadet eines jeden Rechten und priorität.*

XXXVI.

Sed quid, si pecunia per licitationes è bonis debitoris parata, sit major credito, quod debitor habebat à creditoribus, ip sine debitori illud superfluum restituetur? & si pecunia fuerit minor, ita, ut creditoribus in totum satisfieri non possit, debitorne plenè liberabitur? Respondetur ad primum; quod illud regulariter fieri non possit, ob *argt. l. 7. §. II. quib. ex caus. in possess. eatur. Cujac. ad Nov. 53. in part. ejus 3.* (quod tamen est secus de jure Saxon. per *art. 70. §. Soll man denn l. 1. Landrecht / ubi: wenn das Pfand mehr gilt / denn die Schuld ist / das soll man dem Schuldner wiedergeben; & de jure Francofurt. Reform. Francof. part. 1. tit. 46. würde sich auch befinden / daß die Summa des Kauff-gelts über die Summa des Gläubigers sich tragen würde / soll alsdenn der Gläubiger die Uebermaß dem Schuldner zu guth kommen lassen &c.) sed quod sit necesse, ut tabulariis presentibus, eoquè qui vendidit, consignetur, deponaturquè eum in finem, ut, si forsitan alii veniant creditores, qui probent debitorem, cujus bona sub hasta & per licitationem fuere distracta, & sibi debere, illi suum exinde possint consequi & accipere creditum. *l. ult. §. 1. Cod. d. bon. aut. jud. possid.**

XXXVII.

Dixi regulariter: Exceptio enim reperitur in furioso, cujus bona ob urgens æs alienum sunt vendita, *d. l. 7. §. II. quib. ex caus. in possess. eat. & aliis personis, qui*



curatorum ope juvari solent, & qui non defenduntur, quando patiuntur bonorum venditionem *d. l. 7. §. 12.* Sic & in pupillo, qui paterna hereditate se abstinuit, & qui propter illam abstentionem, id quod ex bonis à creditoribus distractis superest, impletis & absolutis omnibus creditoribus accipit. *l. 6. pr. d. reb. aut. ind. possid. l. 79. ad Sctum Trebell.*

XXXVIII.

An autem minor 25. annis idem beneficium habeat, disquiritur? & respondetur per *l. ult. in fin. Cod. de repud. vel abstin. heredit.* quòd, licet id non habeat jure ipso & directò; per indirectum id tamen possit consequi, quando scilicet rebus hereditariis distractis in integrum restituitur, & res hereditarias, quæ soluro alieno are superstites sunt, recuperat.

XXXIX.

Secundam quæstionem antea §. 36. motam, quod attinet, illa resolvitur negativè, *argt. l. 27. & 33. §. 1. ff. d. solut. VVesenbec. in parat. d. solut. n. 5.* ad hoc enim ut liberetur quis, solidum, quod debetur est solvendum; & non liberatur debitor in totum, si creditoribus suis non plenè satisfecit *l. 3 §. 4. & 5. in fin. Cod. d. iur. domin. impetr.* quod & deduci potest *ex l. 1. Cod. qui bon. ced. poss. add. Reformat. Francof. l. antea cit. eod. §. in fin. & Landrecht ibid.*

XL.

Effectus licitationis cernitur vel respectu licitatoris, vel respectu debitoris: respectu licitatoris est (I.) quòd ille pretium solvere cogatur, quod semel obtulit, nec ob id, quòd eum oblationis pæniteat, recedere possit,



fit, quod tamen sic intelligendum, si licitationem fuerit secuta addictio; aut aliud quidpiam, quod effecerit, quò minus res adhuc sit integra; quamprimùm enim facta est addictio, inter vendentem sive proclamantem & licitatorem sive eumentem firma oritur obligatio, à qua parti parte altetâ invitâ recedere non est permis- sum *l. 2. C. quand. liceat ab empt. reced. l. 3. C. d. rescind. vend. l. 6. §. 2. d. contrah. emt. l. 8. Cod. d. pact. inter empt. & vendit. l. 58. ff. d. pact.*

XL I.

(2.) Quòd licitationem insecuta addictio transfe- rat in licitatorem plenissimum rei per licitationem dif- tractæ dominium *l. 3. C. d. fid. & iur. hast. fiscal.* adeò, ut in eum etiam transferatur rei licitatæ periculum, vacuâ licet & nondum translata possessione: Res enim sem- per suo perit domino *l. 9. C. d. pignerat. act.* Nec moveri quispiam debet, quòd absque possessione vacua domi- nium non possit transferri, & rerum legatarius statim à tempore mortis sine ulla apprehensione Dominus effi- citur *l. 64. ff. d. furt. l. 80. d. legat. 2. l. 1. §. 5. si is qui test. lib. esse iuss. est. l. 10. §. ult. d. condict. furt. Bacchov. ad Treutl. volum. 2. disput. 13. thes. 7. lit. A.* illaque regula: quod sine possessione vacua dominium non acquira- tur, manet vera, si loquamur de dominio ex jure genti- um acquirendo, non verò si de dominio acquirendo ex jure civili, quorsum hanc jam dictam recte referri testa- tur. *Bacchov. ad Treutl. volum. 2. disp. 20. thes. 4. lit. D. in fin. Carpz. part. 1. c. 32. defin. 46.*

ad eog nec periculum  
quid

XLII.

(3.) Quòd licitator sit tutus, nec à creditoribus  
si iis





si iis ex pretio non est satisfactum, denuò possit conveniri, quando Magistratui ab eo precium est solutum; bona enim fides non patitur, ut quis idem bis solvere teneatur *l. 57. de reg. jur.* & is, qui mandante & autore iudice solvit, tutus sit *l. 7. §. 2. vers. permittitur ff. d. minor. l. 25. C. d. administr. tut. Carpzov. part. 1. c. 28. def. 183.* Nectangit licitatore, si illud suum pretium aut malè fuerit custoditum, aut perperam inter creditores distributum, cum iudex teneatur creditoribus rationem reddere pecuniæ acceptæ *d. Carpzov. d. part. & cap. def. 182. num. 4.*

XLIII.

(4.) Quod acquisitio per licitationem firmitatem accipiat perpetuam *l. ult. Cod. si propter publ. pensitat.* hinc jus retrovenditionis cessat, cum interfit publicè, publicas venditiones non facilè fieri irritas *l. 8. d. remiss. pignor. add. l. 7. §. 8. ff. de minorib.* & vix inveniuntur, qui ad licitationes tales vellent accedere. *Carpz. p. 2. c. 1. def. 25.*

XLIV.

Sed an talem habeat firmitatem, ut in illa non sit locus evictioni, quæstionis est? Resp. licet cesset, uti jam dictum jus retrovenditionis, attamen non illicò cessat jus evictionis, cum publica & solennis distractio impedire non possit, quò minus rem meam à possessore evincere possim, nec domino in jure sui domini præjudicare possit: nec est, quod queratur emptor, cum ille contra debitorem habeat regressum, cui solutio profuit, perinde ac si solus vendidisset *l. 4. & 13. C. d. eviction. Coler. process. execut. part. 3. c. 9. num. 113. Berlich. p. 1. concl.*



*concl. 81. num. 205.* nisi à creditore quid dolo aut fraude factum!

XLV.

Respectu debitoris (1.) est effectus, quòd is amittat rerum suarum dominium, quæ sub hasta fuere per licitationem distractæ, illudque in licitatore transfe-  
ratur *arg. l. 18. C. d. distract. pignorum.* & per ea, quæ supra occasione licitatoris sunt dicta; non obstante, quòd nemo debeat cogi invitus ad vendendum; quia hoc verum est regulariter, nec ad exceptiones & specialitates extendendum; ubi enim causa subest, quàm justissimè hic subesse certum est, ab illa regula disceditur; in vicem enim justæ obligationis ex contractu provenientis succedit hic autoritas jubentis *l. 1. Cod. si in causa jud. pign.*

XLVI.

(2.) Quòd liberetur à suis creditoribus, si illi solidum ex distractione rerum per licitationem facta fuerint consecuti; quòd si hoc non fuerit factum, non liberatur *arg. l. 1. C. qui bon. ced. poss.* vid. quæ *supr. thes. 39.* sunt dicta.

XLVII.

(3.) Quòd notetur infamia, non tamen juris, sed tali, quâ pudor solummodò sugillatur, maculaque adspersitur, *vid. Colleg. Argentorat. ad tit. d. reb. aut. jud. possid. §. 26. verb. & per ignominiam intelligenda sit non vera juris infamia &c.* nisi licitatio & subhastatio ex consuetudine fiat per actum aliquem ignominiosum, quales actus videri possunt apud *Hillig. in Donell. lib. 27. c. 9. sub litt. hb.* & hæc de effectu; sequuntur nunc contraria & affinia, de quibus breviter.

D

XLVIII.



XLVIII.

Illa sunt (I.) quando probatur aperta fraus facta in licitatione, vel ab emente vel à distrahentibus *l. 2. C. d. fid. & jur. hast. fiscal.* licitatione enim non legitimè facta additio & per consequens domini translatio erit nulla: *Anton. Faber in Cod. l. 8. tit. 16. defn. 4.*

XLIX.

(II.) Si fuerit licitatio facta in re, quam licitari non est permiffum sive, cujus licitatio est prohibita.

L.

(III.) Si res per licitationem est acquisita ab eo, qui ad eam non erat admittendus.

LI.

(IV.) Si facta fuerit non autore Magistratu & quidem competente, nec iis solennitatibus ac requisitis observatis, quæ in illo loco, ubi illa fuit celebrata, vel à legibus vel consuetudinibus requirebantur.

LII.

(V.) Si nullum fuit debitum, cujus occasione bona fuere licitata, aut non certum & liquidum.

LIII.

(VI.) Si ultimo majus precium offerenti licitatori ad solvendum idoneo res non fuerit addicta.

LIV.

An autem hic etiam obtineat beneficium *l. 2. Cod. d. rescindend. vendit.* quæri potest: Sunt qui id negent; verùm cum & hic suæ possint intervenire fraudes, & res vel vilior vel major quandoque contingat distrahi precio calore licitantium ignorantium rerum valorem *l. 16. C. d. rescind. vendit.* & ob pretii vilitatem res publicè distracta restituatur *per l. 2. Cod. de fid. & jur. hast.*

*fiscal.*



*fiscal. l. 9. ff. d. rescind. vendit.* illud locum habere putaverim: Non obstante, quòd in tali licitatione præsumatur res debito precio distracta, illa enim præsumptio cessat, si probatio læsionis in contrarium adduci potest. *l. 11. C. de præd. minor. adde Colleg. Argent. th. 27. ad tit. d. reb. aut. jud. poss.*

L V.

Affinia possunt poni omnes aliæ publicæ licitationes, quæ tamen non fiunt necessariò, ex causa scilicet ea, quæ debitoribus propter debitum sunt suis creditoribus obstricti, sed solummodò ad partium instantiam, quæ propter utilitatem, quam majorem cernunt in pecunia parata, quàm bonis, bonorum licitationem petunt, ut, quando tutores & curatores à Magistratu impetrant, quòd bona pupillorum, minorum, viduarum &c. publicè distrahantur. & hæc de licitatione sub hasta sufficiant? qui plura cupit, adeat præter citatos autores *Aegid. Magist. in tract. d. bonorum proscript. sive subhastat. Iodoc. Damhuder. subhastat. compend. & Exegeſi. Ioan. Baptist. Aſin. d. exsecut. Parlad. 2. rer. quotidian. c. fin part. 5. §. 8. Munoz. d. ratiocin. c. 16. Anton. de Gamma decis. 40. 77. 95. 198. Rauchb. part. 1. quest. 46. & alios.* quos omnes thesibus meis locis convenientibus subnexissem, si illorum copia mihi potuisset fieri!

*Deo Opt. Max. sit Gloria!!*








Strassberg, Diss., 1670


X2677027

V. 17









18,

Pr. 17. num. 52.

Q. D. B. U.

DISPUTATIONEM INAUGURALEM  
JURIDICAM

De

LICITATIONIBUS

Sub

HASTA

Authoritate & Decreto

Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi

Consultissimi

Ordinis Jctorum

in

Florentissima & undiquaque celeberrima

ARGENTORATENSIVM UNI-

VERSITATE

pro

Consequendis summis in utroque jure

Honoribus & Privilegiis

Doctoralibus

SOLENNITER habebit

HIERONYMUS Schneider

Mœno - Francof.

ad diem 21. Mens. April. 1670.

ARGENTORATI,

Literis GEORGII ANDREÆ DOLHOFFII,

Imprimebat JOHANNES Schus.



19.